



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Vlcere lobi multas plagas intelligi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

tandem expugnari, quæ ad primum, vel secundum insultum for-  
Calsiam col- tissimè restiterunt. Vnde docet Cassianus, vnum & eundem,  
lat. 2. cap. 17. dæmonem, & per diuitias ac prosperitatem, & per jumentorum  
Vide S Tho. filiorumque interitum, & denique per omnis generis morbos  
1, p. q. 114. 11. ad DEVVM blasphemandum incitasse. Deinde aduertenda est at-  
tentatoris: nam, more versuti Ducas, nostris nos rebus, nostra  
carne, nostro corpore, nobis ipsis nos impugnat, nec melioribus

S. Greg. Na- vti potest aut armis, aut instrumentis. Cum eo hoste, inquit, Na-  
zianz. orat. 1. zianzenus, dimicandum habemus, qui nos internè oppugnat, ac nobis-  
met ipsis ( quo nihil miserius est ) tamquam armis in perniciem nostrā  
utens, peccati morte nos afficit. Itaque cùm Iob sanus esset, cùm  
diues & felix, conatus est vtique animum eius corporis volupta-  
tibus & carnis blandimentis emollire. Sed quia expertus est,  
eum rebus prosperis non euerti, sed simplicem & rectum stare;  
cepit eum diuersis machinis quatere, & tormentis corporis do-  
loribusque voluit illum ad impatientiam, ad iram, ad diuinā  
prudentiæ contemptum adigere. Ita & nos in utramque par-  
tem agitat. Saturo corpore ad luxuriam prouocat; famescente  
ad gulam. Diuitijs allicit ad avaritiam, paupertate ad furandū;  
honoribus ad arrogantiā, ignominia & iniurijs ad desperatio-  
nem. Qua de causa recte monet Apostolus, *vt exhibeamus nos  
DEI seruos & ministros, per gloriam & ignobilitatem; per infamiam  
& bonam famam, à dextris, & à sinistris.*

## III.

Iob. 2. 7.

Quoniam igitur felicitate nihil effecit satani, ærumnis &  
morbis Iobum impleuit, quæ quidem paucis verbis indicantur,  
quando dicitur: *Egressus igitur satan à facie Domini percussit Iob  
ulcere pessimo, à planta pedis, usque ad verticem eius, sed paucis his  
verbis multa indicantur, quæ passim Iob alibi explicat; ex cuius  
queritonijs & dictis optimi peritissimiisque medici, multorum  
morborum causas, genera, differentias, symptomata colligunt.  
Vnde & de cacodæmonis malitia, & de Iobi patientia potest fieri  
conjectura. Enimuerò illis ipsis paucis verbis multa insinua-  
tur. Tempore pestis, ab uno sœpe ulcere immensus dolor & exi-  
tium venit. Diabolo non satis fuit, quod ulcere pessimo, sed etiam,  
quod à planta pedis usq; ad verticem eius, cum percusserit. Atque  
ut etiam remedij solatium ei decesset, & lectus, & linteamina,*  
pannie

panniculiq[ue], quibus purulentum cruentum abstergeret, coactus est testa sanientem radere sedens in sterquilino. Ut maior esset dolor, velut vnguem in ulcere verteret, aspera testa, pro tenui strophio usus est. Quale, inquit Tertullianus, *in illo viro feretrum* (seu trophium) *DEVS de diabolo extruxit?* quale vexillum extulit? cum ille homo ad omnem acerbum nuntium nibil ex ore promiceret, nisi DEO gratias? cum uxorem iam matis delassatam, & ad prava remedia suadentem execraretur? *Quid?* sane ridebat DEVS, dissecabatur malus (satan) cum Iob immundans corporis sui redundantiam, magna equanimitate distringenter; cum erumpentes bestias inde in eosdem fecerit & pastus foraminose carnis ludendo reuocaret.

Hic rursus duas aduerto Stygij prædonis astutias. 1. Cum ad Iobi cruces augendas oves, boues, camelos, seruos, liberos, & omnem substantiam eius sustulisset, reliquise tamen illi uxorem pessimam; quæ cum eum solari, curareque deberet, tanquam Xantippe aliqua irridebat, ad iram impatientiamque prouocabat: ut non tantum haberet, quod pateretur, sed etiam viperam, à qua morderetur, & ad blasphemandum incitaretur. 2. Is, qui à planta pedis, usque ad verticem eum percussit, unam ex omnibus membris linguam communis ulcere, & plaga exemplam seruauit, ne maledicendi instrumentum, à blasphemis cohiberetur, plaga percussum. Hinc ait ipse Iob: *Derelicta* Iob. 19. 26. *sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Labia & linguam illi reliquit, ut vaginam & gladium in promptu haberet, si fieret furiosus. Sed in his omnibus, non peccauit Iob labijs suis. Duo autem Iob. 2. 10. sunt, quæ illi maximam patientiae materiam in corpore suppeditauerunt; nimirum multitudo & magnitudo morborum. Ut enim carnifex peritus, ita satan varia atque exquisita tormenta excogitauit, quibus fortissimum virum, ad superos execrandos impelleret.

De multitudine ita loquitur Origenes: *Nullum dereliquit supplicium, neque paenam, neque dolorem, putredinem, vermes, ossum divisionem, neruorum fatigationem, membrorum debilitationem, atq[ue] totius carnalis compaginis passionem, atque dolorem: jacere non poterat, sedere non valebat.* Igitur singula membra Iobi singulis ac peculiaribus morbis infestata fuerunt. Quod insinuantur illis

Yy

verbis

V.